Caesar, de bello Gallico, I,12 **Raum für Notizen**

1 Flumen est Arar,
2 quod per fines Haeduorum et Sequanorum in Rhodanum influit,
3 incredibili lenitate ita,
4 ut oculis,
5 in utram partem fluat,
6 iudicari non possit.
7 Id Helvetii ratibus ac lintribus iunctis transibant.
8 Ubi per exploratores Caesar certior factus est
9 tres iam partes copiarum Helvetios id flumen traduxisse,
10 quartam vero partem citra flumen Ararim reliquam esse,
11 de tertia vigilia cum legionibus tribus e castris profectus
12 ad eam partem pervenit,
13 quae nondum flumen transierat.
14 Eos impeditos et inopinantes adgressus
15 magnam partem eorum concidit;
16 reliqui sese fugae mandarunt atque in proximas silvas abdiderunt.
17 Is pagus appellabatur Tigurinus;
18 nam omnis civitas Helvetia in quattuor partes vel pagos est divisa.
19 Hic pagus unus,
20 cum domo exisset,
21 patrum nostrorum memoria L.Cassium consulem interfecerat
22 et eius exercitum sub iugum miserat.
23 Ita sive casu sive consilio deorum immortalium,
24 quae pars civitatis Helvetiae insignem calamitatem populo Romano intulerat,
25 ea princeps poenas persolvit.
26 Qua in re Caesar non solum publicas, sed etiam privatas iniurias ultus est,
27 quod eius soceri L.Pisonis avum, L. Pisonem legatum Tigurini eodem proelio
28 quo Cassium interfecerant.